



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XXXIII. An debeat reus è loco sacro extractus ante Omnia restituti
Ecclesiæ. Vbi etiam an extrahentes immunitate priuentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

quest. fin. 30. in fin. & Ambrosius de immunit. cap. 11. num. 6. & nos dicemus infra dub. 40.

15 Ex dictis sequitur, quod reus confugiens ad Ecclesiam, licet non possit à Iudice laico spoliari bonis, quæ possidet in Ecclesia, possit tamen spoliari bonis, quæ possidet extra Ecclesiam, si scilicet citatus sub pœna confiscationis bonorum negligat coram Iudice comparere; quia textus in c. inter alia, de immunit. Eccles. ibi: Neque damnari debet ad mortem, vel ad penam, &c. loqui solum videtur de pœna corporali, non verò de pœna pecuniaria: tum quia hoc modo non agitur contra ipsum ratione confugij ad Ecclesiam, sed ratione delicti, propter quod lex pœnam imponit: sic contra glossam loc. cit. & Ioannem de Vilchis tract. de immunit. num. 57. vers. nunquid, docent Abbas, Decianus, Farinac. Suar. Gambacurta, Peregrinus, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina de excomm. in parte extra Bullam Cœna, disp. 2. q. 3. punct.

16 §. 3. n. 9. qui subdunt, & nos dicebamus supra, Iudicem secularem consuevisse citare delinquentem, illumque iuxta delicti qualitatem, etiam ad mortem, nedum ad quamcunque aliam pœnam condemnare, quæ consuetudo, & praxis comprobari potest ex ratione mox supradicta, quod scilicet hoc modo non damnetur reus, ut mors, vel alia pœna corporalis executioni in ipsum mandetur de præsentī, dum scilicet exilit in Ecclesia, sed in futurum, cum scilicet licitè in eum pœna illa statuta inferri poterit, & sic cessat præiudicium Ecclesiæ.

17 Sequitur secundo, quod immunitas Ecclesiæ non violetur, si reus, qui in Ecclesia captus fuit, & in carcere, seu custodia fori secularis nomine Episcopi detinebatur, donec cognosceret, an reus immunitate Ecclesiæ gaudere deberet, è carcere, seu custodia fori secularis fugit, & postea ab eodem foro iterum capitur, & morti traditur, non expectata Episcopi sententia; quia in hac secunda vice non est captus in loco sacro, sicuti suppono, & reus sibi imputare debet damnum, quod patitur ratione fugæ, quæ ipsi abstulit privilegium primæ detentionis. Farinac. in append. cap. 39. num. 206. licet alij contrarium sentiant. Vide Decianum tract. crim. lib. 6. cap. 29. num. 7. Farinacium loc. cit. num. 52. & 306. & Matium Iulium lib. 1. cap. 6. §. 7. num. 38.

DVBITATIO XXXII.

An Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro resistere quis possit?

SUMMARY.

- 1 Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro ultra casus permisos, resistere potest & reus, & Ecclesia, cum sic utrique Iudex iniuriam faciat.
- 2 Vim vi repellere, & Ecclesiasticam immunitatem tueri licet.
- 3 Reus in Ecclesia ad defendendam immunitatem resistere potest armis, & quacunque alia vi; quia cuiuslibet ius suum armis defendere licet.
- 4 Ecclesia resistere potest ostia claudendo, & qualibet alia media extrema ad impediendam vim apponendo, sine armis tamen.
- 5 Raro auxilium laicorum, etiam cum armis adhibendum est ad Ecclesiam defendendam.
- 6 Ordinarius modus defendendi immunitatem est censura Ecclesiastica.

1 Respondetur, quod Iudici tentanti extrahere reum è loco sacro ultra casus permisos, resistere Thom. Delbene, de Immunit. Eccl. Pars II.

stere possit & reus, & Ecclesia, cum sic utrique Iudex iniuriam faciat, & ex alio capite vim vi repellere, & Ecclesiasticam immunitatem tueri liceat. Atque ita docent Farinac. in append. de immunit. cap. 2. numero 46. Mar. Italia de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 45. in fin. Diana part. 6. tract. 1. resol. 32. Suarez lib. 3. cap. 13. n. 4. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 3. numero 14. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immunitat. punct. 5. in princip. & colligitur ex l. prohibitum, Cod. de iure fisci, lib. 10. vbi Officiali iniuste exequenti licitè de facto resistitur.

Ceterum reus ei resistere potest armis, & quacunque alia vi; quia cuiuslibet ius suum armis defendere licet, cum talis non sit aggressio, sed defensio; Ecclesia autem eidem resistere potest ostia claudendo, & qualibet alia media extrema ad impediendam vim apponendo, sine armis tamen (cum Ecclesiasticis non liceat arma sumere, cum exinde maiora scandala, & mala exoriri soleant) saltem quibus ipsimet clerici utantur; quia in raro necessitatis casu auxilium laicorum, etiam cum armis, adhiberi potest ad Ecclesiam defendendam. Atque ita docent Pagundez lib. 4. cap. 4. n. 59. de præcept. Eccles. Suarez cit. cap. 13. n. 4. Layman n. 14. Azaved. lib. 1. tit. 2. leg. 3. n. 30. Bobad. lib. 2. cap. 15. n. 3. p. 1. & Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. q. 37. in fin. & lib. 2. quest. 10.

Ordinarius autem modus defendendi Ecclesiasticam immunitatem, & arcendi Iudicem ab iniqua violentia, est per censuras Ecclesiasticas, præsertim excommunicationis, si desistere, vel reum iam extractum restituere Iudex recuset, iuxta cap. miror, 17. q. 4. ut rectè tradunt Abb. cap. inter alia, num. 62. de immunit. Eccles. Couar. cap. 20. in fin. Suarez cap. 13. n. 6. Layman n. 14. & alij passim. Vide quæ dicuntur dub. 39.

DVBITATIO XXXIII.

An debeat reus è loco sacro extractus ante omnia Ecclesiæ restitui? Vbi etiam an extrahentes immunitate priuentur?

SUMMARY.

- 1 Reus è loco sacro (extra casus exceptos) extractus debet ante omnia Ecclesiæ restitui.
- 2 Iudex secularis non potest reum sic extractum, neque etiam ob alia delicta, post incarcerationem v. g. in carceribus secularibus commissa, illum detinere. Iudex laicus extrahendo indebitè reum ab Ecclesia, semper tenetur iniuriam factam Ecclesiæ compensare.
- 3 Ecclesia in tali casu est prior in tempore, & sic prior esse debet in iure. Idem dic, si Iudex extraxerit in casibus exceptis, sed non servata forma prescripta in Bulla Gregorij XIV.
- 4 Iudex tenetur satisfacere Ecclesiæ præiudici rei restitutione, neque excusatur iuramento, vel cautione exhibita, quod reus non plectetur corporali pœna.
- 5 Item tenetur satisfacere Ecclesiæ, etiamsi reus violenter extractus postea extractioni consentiat, & privilegium immunitatis renunciet.
- 6 Idem dicendum, si renunciet existens in loco sacro.
- 7 Idemque dicendum, si renunciet existens in carcere.

- Curia secularis, dum agitur, an immunitate gaudere debeat.
- 8 Reus ad hoc ut renunciare possit privilegium Immunitatis requiritur, ut prius Ecclesie, ex qua extractus fuit, restituatur, & postea voluntarie ex illa exeat.
 - 9 Iudex non excusatur à restitutione rei faciendae Ecclesiae per petitionem termini ad probandum, quod reus in casu excepto deliquerit.
 - 10 Spoliatus ante omnia est restituendus, maxime quando agitur de prauidicio Ecclesiae.
 - 11 Privilegium Immunitatis uniuersale, & generale est ad omnes Ecclesias, & sic iniuria uni facta, censetur omnibus facta, & satisfactio uni praestita censetur omnibus praestita.
 - 12 Episcopus, quia Ecclesiam representat, vel eius Vicarius loco Ecclesiae restitui potest in rei possessione.
 - 13 Episcopus est in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo.
 - 14 Offensa facta Episcopo dicitur facta Ecclesiae.
 - 15 Qui seruit Episcopo dicitur quod seruiat Ecclesiae.
 - 16 Poena pecuniaria imposita pro offensa facta Ecclesiae ob violatam eius immunitatem causa extractionis rei ex ipsa, solui debet Episcopo.
 - 17 Quando iniuria fit Ecclesiae, siue eius loco, sufficit si satisfactio fiat Episcopo.
 - 18 Restitutio propter exactionem Pedagiorum faciendae Ecclesiae sufficit, si similiter fiat Episcopo.
 - 19 Restitutio faciendae à Visitatoribus, quod indebitam procuratorem, seu munera extorserint, sufficit, si fiat etiam Episcopo, qui representat Ecclesiam, contra Barbosam qui assertit pro se declarationem sacrae Congregationis immunitatis, sed de ea non constat authentice.
 - 20 Vide conciliationem utriusque opinionis factam per Farinacium.
 - 21 Cognitio an crimen commissum sit exceptum, & an fuerit legitime probatum, spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, non autem ad saecularem.
 - 22 Opinio Nouarij refellitur immixta illi fundamento, quod sicut Ecclesia, quae fuit spoliata, habet interdictum de libero homine restituendo; ita etiam habeat Curia secularis interdictum restitutionis.
 - 23 Vbi iura non distinguunt, neque nos distinguere debemus, praesertim in fauoribus, qui potius sunt ampliandi, quam restringendi.
 - 24 Reus ex hoc ipso quod non sit in manibus Curiae, etiamsi violenter sit ab alijs extractus, habet ius confugiendi ad Ecclesiam.
 - 25 Extractio violenta non potest priuare reum iure, quod habet ad vitam, libertatemque suam tuendam.
 - 26 Ecclesia excipiendo, & defendendo reum vi à satellitibus subductum, non facit contra iustitiam, nec fouet iniustam spoliationem.
 - 27 Si quis exiens è carcere sub iuramento redeundi ad carcerem, confugiat ad Ecclesiam, immunitate eius gaudet, & non dicitur quod Ecclesia non restituendo foueat sacrilegium rei.
 - 28 Princeps vnus Territorij non dicitur quod faciat iniuriam Principi alterius Territorij non restituendo reum, qui illuc confugit, cum liber in illius Territorium intrauerit.
 - 29 Princeps extrahens reum sibi subditum à Territorio alterius violat iurisdictionem ipsius.
 - 30 Reus immunitate gaudet, etiamsi detentus à satellite simul cum satellite ad Ecclesiam confugiat.
 - 31 Satelles si capiat aliquem extra domum, & captus satellitem capientem trahens, ingressus fuerit domum, vel intra clausuram domus partem corporis immiserit, non debet inde inuitus extrahi.
 - 32 Reus à satellitum manibus extractus, aut reus satellitem secum ad Ecclesiam trahens, non excipitur in Constitutione Gregoriana.
 - 33 Reus captus antequam deducatur ad carcerem, non intelligitur ita perfecte captus, ut sit in tuto, sub dominio, & potestate iustitiae.
 - 34 Reus è manibus Curiae secularis violenter ab alijs extractus, si confugerit ad Ecclesiam, quod Ecclesia immunitate gaudeat, & consequenter Curia seculari restituendus non sit, decusum fuit in Hispaniarum Regnis.
 - 35 Assignatur disparitas, quae est in argumento Nouarij, nempe de homine libero, & non libero.
 - 36 Iudex laicus debet restituere reum Ecclesiae spoliatae; quia per talem spoliationem Ecclesia non amittit ius protectionis acquisitum.
 - 37 Curia secularis capiens reum, ledit ius Ecclesiae, ex iniusta autem latione oritur restituendi obligatio.
 - 38 Quisque vii potest iure suo, licet per accidens impediatur ius alterius, quin licet per accidens sequatur damnum alterius.
 - 39 Argumentum non valet de casu privilegiato ad casum non privilegium, & de fauoribus ad odia.
 - 40 Extrahentes reum à manibus satellitum, etiam cum vulneribus ipsorum, gaudent Ecclesia immunitate.
- R**espondetur, quod reus è loco sacro extra casus exceptos, siue à satellitibus, siue ab alijs extractus, debeat ante omnia Ecclesiae restitui. Atque ita habetur ex cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. conquerente, & cap. item cum quis, de restit. spoliatorum, cap. sicut antiquitus, cap. miror, & alijs multis, cap. 17. quest. 4. (vbi dicitur, extrahentem compellendum esse per excommunicationem ad restitutionem) & docent ibi glossa, Abb. Ancharam. Bellamera, & alij Canonistae passim. Vide etiam Clarum in pract. crimin. q. 30. Salonium quest. 62. art. 4. contr. 2. Scortiam Theor. 385. & Lessium lib. 1. cap. 29. dubi. 6. num. 52.
- Et hoc adeo verum est, ut non possit Iudex secularis reum sic extractum, neque etiam ob alia delicta post extractionem, v. g. in carceribus saecularibus commissi, illum detinere; quia sic extractus habet ius, ut restituatur Ecclesiae, ac per consequens, ut nihil contra ipsum agatur, & Iudex semper in obligatione est, ut iniuriam factam Ecclesiae compenseret, & sic statim ac potest, compensare illam tenetur: tum quia Ecclesia prior est in tempore, & sic potior esse debet in iure, & non est conueniens, quod propter iniustam extractionem illa in sua immunitate detrimentum patiatur. Atque ita docent Farinac. in append. de immunit. cap. 2. n. 49. Mar. Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 49. Peregrin. cap. 15. n. 25. Bonacina tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 4. num. 13. Genuensis in pract. cap. 17. num. 5. Lezana verb. immunitas, n. 19. & Diana part. 6. tract. 1. resol. 32. contra Gammam decis. 57.
- Neque ab hac restitutione rei faciendae Ecclesiae excusatur Iudex, esto iuramentum praestet, & cautionem, seu securitatem exhibeat, quod ipse illum corporali poena plexurus non sit; qui prius satisfactio debet Ecclesiae, quae spoliata fuit: at debitam satisfactionem non praestat Ecclesiae, nisi prius ei faciat actualem restitutionem, cap. mir. 17. q. 4. & docent Archidiaconus, Turrecrem. Bellam. Angelus, Silu. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius in loco supra cit. num. 50. Couar. 2. var. cap. 20. num. 6. Decian. lib. 6.

lib. 6. cap. 25. num. 1. Suarez lib. 3. cap. 13. n. 6. in fin. Vilalob. in Summa. tom. 2. tract. 59. d. 8. num. 4. & Diana par. 6. tract. 1. resol. 32.

Quinimo Remig. de Gonny in tract. de immunit. quass. 15. Peregrin. cap. 15. num. 21. & alij idem dicendum sentiunt, si Iudex extrahit in casibus exceptis, sed non seruat formam præscriptam in Bulla Gregorij X. I. V. & merito, quia adhuc in tali casu Iudex immunitatem Ecclesiæ violat, extrahendo v. g. causam nondum cognita, vel ab Episcopo licentia non obtenta: tum quia Ecclesia contra Iudicem potest agere de spolio. Doctores quos citat, & sequitur Tuschus tom. 3. lit. E. concl. 10. num. 20. ergo signum est, quod Iudex teneatur de spolio; tum quia in dicto casu extractio iuridica nulla est ex textu in cit. Bulla ibi: *Ne non irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*: ergo nullo modo potest Iudex in dicto casu reum extractum retinere; cum ex actu irritum nullum ius acquiratur.

Neque secundo à dicta restitutione rei faciendæ Ecclesiæ excusatur Iudex, esto reus, qui fuit extractus violenter ab Ecclesia, & deductus v. g. ad carceres sæculares, privilegio immunitatis ibi renunciet; quia tale privilegium principaliter, & directè Ecclesiæ (licet secundariò, & indirectè reo) concessum est, & sic renunciare illud non potest reus; sicuti renunciare non potest clericus privilegium fori, vel Canonis, quod ipsi non ob ipsum, sed ob dignitatem clericatus principaliter concessum est. Atque ita docent Decianus, & Mar. Ital. quos citat, & sequitur Farinacius in append. de immunit. cap. 19. numero 304. Suar. num. 11. Peregrin. cap. 15. n. 22. Castus Palaus tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 11. numero 5. Mastrius lib. 2. decis. 169. & Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dubit. 1. numero 14. & 15. contra Remigium de Gonny in tract. de immunit. falent. 11. ad n. Barbosa de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 58. & Salgadum in tract. de Bull. Pontific. par. 1. cap. 5. num. 64.

Idem ob eandem rationem dico de eo, qui renunciat existens in loco sacro: hic enim, licet possit voluntarie exinde exire, ut extra locum sacrum capiatur, non tamen potest consentire, ut è loco sacro à laica potestate extrahatur. Decianus cap. 26. num. 12. Peregrinus num. 23. Mar. Ital. lib. 1. cap. 5. §. 2. num. 82.

Idemque ob eandem rationem dico de eo, qui legitime extractus ex Ecclesia nomine Episcopi, in carceribus Iudicis secularis detinetur: hic enim etiam (dum agitur ad deliquerit in casibus à Gregorio expressis) non potest renunciare; quia fieri potest, quod fuerit extractus in casu, in quo immunitas loco sacro concessa fuerit; & ipse, sicuti dicebam, non potest loci sacri immunitati cedere. Decianus, Mar. Ital. & Peregrinus in locis supra cit.

Itaque ut possit reus immunitatis privilegio renunciare, requiritur, ut prius Ecclesiæ, ex qua extractus fuit, restituatur, & postea voluntariè ex illa exeat, & sic à ministris laicis capiatur; quia tunc non fit præiudicium Ecclesiæ, secus dum in Ecclesia existit; quia tunc ob rationem dictam non potest renunciare privilegio immunitatis: quapropter licet consentiat in Ecclesia se ligari, & extrahi, talis consensus non excusat extrahentes à censuris iuris, & Constitutionis Gregorij X. I. V. sicuti nec excusat consensus Prælati Ecclesiastici nisi simul cum consensu rei coniungatur, ut dicebatur supra dubit. 26. & dicitur infra dub. 30. & 40.

Neque tertio à dicta restitutione rei faciendæ Ecclesiæ excusatur Iudex, esto petierit terminum ad probandum, quod reus in casu, excepto deliquerit; Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

quin esto id probauerit per confessionem ipsius rei. Ratio est, quia non fuit servata forma, nec talis est sufficiens probatio, cum non agatur de præiudicio tantum rei, sed etiam Ecclesiæ, & semper procedat regula, quod *spoliatus ante omnia sit restituendus*. Atque ita docent Remigius de immunit. Eccles. q. fin. Suarez in prax. 1. p. tom. 1. cap. 3. §. 3. num. 16. & Genuens. in prax. Archiepisc. cap. 22. num. 6.

Quapropter cum Ecclesia spoliata sit iure detinendi reum, prius ipsa restitui debet in sua possessione, & postea fieri causa, an legitime possideat; restitui verò debet Ecclesia in sua possessione, siue eadem numero, siue alia, dummodo sit æquè tuta, & æquè commoda reo; quia hoc privilegium unicuique est omnibus Ecclesiis, & sic iniuria vni facta, censetur omnibus præstita; siquidem immunitas Ecclesiæ non magis respicit hanc, quam illam Ecclesiam, cum in uniuersum omnibus Ecclesiis concessa sit; tum quia qui homicidij, vel mutilationis delictum in vna Ecclesia commisit, potest in alia à Ministris laicæ potestatis capi, & in carcerem deduci; ergo similiter qui captus est in vna Ecclesia, poterit alteri Ecclesiæ restitui, si in hac cum æquali commodo æquè tutus, & securus sit; cum in tali casu extractus nullum damnum sentiat, & Ecclesia, ex qua fuit extractus, facta alteri Ecclesiæ restitutione, nullum detrimentum patiatur.

Quin ob eandem iamdictam rationem restitutio fieri poterit Episcopo, vel eius vicario; quia Episcopus Ecclesiam repræsentat, ipsique cura incumbit seruandæ immunitatis Ecclesiæ, cap. scire debes 7. q. 1. & docent Bonif. in Clem. attendentes, §. hoc autem, n. 17. de statu Monachor. Farinac. cit. cap. 2. num. 48. & Bonacina disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 55. circa fin. Vnde in cit. cap. scire debes, & in cap. 1. de restitut. in integrum, in 6. dicitur, quod Episcopus sit in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo. Item offensa facta Episcopo, dicitur facta Ecclesiæ: Clem. 1. de foro compet. & docent ibi Card. & Bonif. Item qui seruit Episcopo, dicitur quod seruiat Ecclesiæ, cap. de cetero, de clericis non residentibus. Item ly dic Ecclesiæ, intelligitur dic Episcopo, cap. nouit, de iudiciis. Item poena pecuniaria imposita pro offensa facta Ecclesiæ ob violatam eius immunitatem causa extractionis rei ex ipsa, solui debet Episcopo, cap. si quis contumax, 17. q. 4. & docet ibi Archidiaconus, quem sequens Ioan. Andr. in cap. quamquam, de censuris, in 6. ait, quod quando iniuria fit Ecclesiæ, seu eius loco, sufficit, si satisfactio fiat Episcopo; subditque, quod restitutio propter exactionem pedagiorum faciendæ Ecclesiæ, iuxta cit. cap. quamquam, sufficit si similiter fiat Episcopo; & Marian. in tract. de visitatione, lib. 1. in fin. ait, quod restitutio faciendæ à visitatoribus, ex eo, quod contra formam cap. 2. de censuris, in 6. indebitam procurationem, seu munera extorserint, sufficit si fiat etiam Episcopo, qui repræsentat Ecclesiam: ergo sic & in casu nostro.

Quamvis Barbosa de iure Eccles. lib. 2. c. 3. n. 54. probabiliter contrarium sentiat, quod scilicet restitutio fieri debeat eidem Ecclesiæ, & non sufficiat fieri alteri Ecclesiæ, vel Episcopo, aut eius Vicario, loco Ecclesiæ: & assertit pro se declarationem sacræ Congregationis immunitatis anno 1632. cui tamen, cum de ipsa non constet authenticè, necessariò standum non est; præsertim quia dici potest, quod illa iuxta dicta intelligatur in casu, quo restitutione tali facta, extractus non sit cum æquali commodo, & æquè tutus, ac si restitutio facta fuisset eidem Ecclesiæ; nam cum immunitas concessa sit locis sacris, ut ad ipsa confugiens securus sit, cumque inde extractus passus sit iniuriam, & sic habeat ius petendi, ut in suam libertatem pristinam restituatur, par est, ut in loco æquè commodo, ac æquè tuto constitatur, quæ Farinacius probabiliter etiam distinguit, & sic utramque opinionem conciliat, quod

I 2 scilicet,

scilicet, aut reus petit se restitui Ecclesiae, ex qua fuit extractus, & sic procedit posterior opinio; aut non petit, & sic procedit prior, nempe quod restitui possit alteri Ecclesiae, vel loco Ecclesiae etiam Episcopo, aut eius Vicario, non ut eum inclusum in carcere detineat, sed ut liberum in Palatio, vel in Ecclesia reponat; alioquin enim immunitatis privilegium frustratorium esset, seu ut dici solet, seruiret de vento.

Ceterum cognitio, an commissum crimen sit exceptum, & an fuerit legitime probatum, &c. spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, non autem ad secularem, 21 ut dubit. 41. dicitur.

Obiicies, Ecclesia reo spoliata restituenda est in sua possessione; ergo Curia secularis similiter, si spoliata fuerit reo, qui detinebatur à suis ministris, restituenda erit in sua possessione; quo argumento conuictus Novarius in *summa Bullar. tit. de immunit. numero 14.* non omnino improbabiler ait quod licet reus, si è carceribus, vel è satellitum manibus se eximens, confugiat ad Ecclesiam, immunitate gaudeat, & curiae seculari restituendus non sit; tamen si inde exemptus ab aliis ad eam confugiat, immunitate non gaudeat, & curiae seculari restitui debeat; sicut & non gaudet, si detentus à satellite, simul cum satellite ad Ecclesiam confugiat; quia in tali casu non liber, & solutus ad Ecclesiam confugit, sed captiuus, & detentus ab aliis, & probat ulterius; quia sicut Ecclesia, quae fuit spoliata, habet interdictum de libero homine restituendo, ita etiam habet Curia secularis interdictum restitutionis: & adducit pro se Franchum *decis. 709. num. 3.* & videri etiam poterit Pasqualigus *decis. 486. per totam.*

Respondetur concedo antecedens. At nego consequentiam; quia licet extrahentes male faciant, & digni sint propterea, ut maxima poena puniantur, extractus tamen, si ad Ecclesiam confugiat, immunitate gaudet, & Curiae seculari restituendus non est; quia liber, & solutus ad Ecclesiam confugit, & sic non est, cur immunitate priuetur, cum omnia iura, tam antiqua (ut *cap. inter alia, de immunit. cap. definiti, 17. quest. 4. lex 2. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.*) quam noua (ut Constitutio Gregorij XIV.) absolute dicant, quod rei confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudeant, & ex alio capite, ubi iura non distinguunt, nec nos distinguere debemus, ex vulgaris textibus (quos adducit Iason in *l. non dubium, n. 58. ff. de legibus*; Surdus *consil. 51. num. 7.* & alij passim) praesertim in fauoribus, qui potius sunt ampliandi, quam restringendi.

Confirmatur, quia si quis se eximens, ad Ecclesiam confugit, gaudet; ergo & gaudebit, qui ad eandem confugiet exemptus ab aliis; cum in utroque casu liber, & solutus, non autem detentus, & captiuus ad Ecclesiam confugiat; & cum hoc ipso quod reus non est amplius in manibus Curiae (etiam si violenter ab aliis è manibus illius extractus fuerit) habeat ius confugiendi ad Ecclesiam; siquidem extractio illa violenta non potuit ipsum priuare iure, quod habet ad vitam, libertatemque suam tuendam; alioquin si sic extractus remaneret adhuc sub dominio Curiae secularis, teneretur fugam non arripere, sed permittere, & expectare, iterum se à satellitibus capi; quod dicere absurdum est; ergo dicendum, quod licet pro sui defensione ad Ecclesiam confugere possit, & sic quod Ecclesia ipsum excipere, & defendere debeat; atque adeo quod eundem excipiendo, & defendendo non faciat (vbi contendunt aduersarij) contra iustitiam, non foueat iniustam spoliationem, sicut faceret contra iustitiam, & foueret iniustam spoliationem, qui rem ab alio furatam apud se retineret, & noller illam restituere Domino (sed praeter tantum patrociniū reo iam in pristina libertate

reposito, & libere ad ipsam confugiendi; quamvis ipsi extrahentes in extractione illa violenta peccauerint; quorum improbitas (ut dicebam) tollere non potest, quin reus sic extractus, & in pristina libertate repositus, non possit uti iure suo pro sui defensione ad Ecclesiam confugiendi; & quin Ecclesia non teneatur illum, quem liberum recipit, defendere, & suo patrocinio iuuare; quia si reus habet ius pro sui defensione violenter se extrahendi è manibus Curiae, & ad Ecclesiam confugiendi; multo magis habebit ius id faciendi ab aliis extractus, & sic in sua pristina libertate repositus. Quapropter dicendum, quod Ecclesia in tali casu praestet tantum auxilium suum reo libero, & libere ad ipsam confugiendi; non autem, quod non restituendo, foueat iniustam spoliationem laico Iudici factam. Sicuti si quis exiens è carcere sub iuramento redeundi ad carcerem, confugiat ad Ecclesiam, immunitate eius gaudet, & non dicitur, quod Ecclesia non restituendo, foueat sacrilegium rei, & iniustum damnum, quod inde custos carceris recipit, sed tantum quod Ecclesia tueatur ius, quod reus habet pro sui defensione ad Ecclesiam confugiendi, ut *supra dubit. 10. sect. 10.* dicebatur. Item sicuti, si quis ex manibus Curiae etiam violenter extractus ex territorio vnius Principis recipiat se ad territorium alterius, etiam immunitate gaudet, & non dicitur, quod Princeps illius territorij, ad quod reus libere confugit, non restituendo, faciat iniuriam alteri Principi, & foueat iniustam spoliationem illi factam; sed quod tantum licet reum defendat, quia non tenetur requisitus reum restituere, cum ille liber in ipsius territorium intrauerit; quinimo Princeps alter, si inde violenter extrahit, violabit iurisdictionem Principis istius, ex cuius territorio extrahit. Quapropter recte dixit Ludouicus Correa in *relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. n. 21.* quod licet delinquens prius esset in manibus Curiae, nihilominus nunc, cum existat in Ecclesia, fiat Ecclesiae praedictum in suo privilegio, si ex illa extrahatur, sicut qui in alienum territorium fugit, fiet alienae iurisdictionis offensio, si exinde similiter violenter extrahatur. Vide quae dicebantur *supra cit. dubit. 10. sect. 6. per totam, dubit. 19. sect. 2.*

Confirmatur secundò, quia reus immunitate gaudet etiam si detentus à satellite, simul cum satellite ad Ecclesiam confugiat, ut in *locis cit.* probamus.

Confirmatur tertio ex doctrina Mariani Socini in *tractat. de cit. art. 17. in 2. membr.* ubi docet, quod si satellites capiat aliquem extra domum, & captus satellitem capientem trahens ingressus fuerit domum, vel intra clausuram domus partem corporis immiserit, non debeat inde inuitus extrahi.

Confirmatur quarto, quia in *cap. inter alia*, & in constitutione Gregorij XIV. nominatim excluduntur rei, qui ad Ecclesiam confugientes, immunitate non gaudent, inter quos non numeratur reus è satellitum manibus extractus, nec reus satellitem secum ad Ecclesiam trahens; ergo non est, cur ab immunitate hi excludantur; praesertim quia (ut faceret ipse Novarius *num. 47.* verba Constitutionis Gregorij XIV. cum tollant omnem facultatem aliter interpretandi) licet non sint amplianda, nec extendenda, non sunt tamen limitanda, nec declaranda, sed intelligenda prout sonant.

Confirmatur quinto ex doctrina Agidij Bossij *tit. de captura, num. 23.* ubi docet, quod reus captus, antequam deducatur ad carcerem, non intelligitur ita perfecte captus, ut sit in tuto sub dominio, & potestate iustitiae, quapropter sibi imputet Curia secularis, si non tutè, & secutè reum in carcerem traduxerit. Vnde, quod reus è manibus Curiae secularis violenter ab aliis extractus, si confugerit ad Ecclesiam, Ecclesiae immunitate gaudeat, & consequenter Curiae seculari restituendus non sit, in Hispania *decisum*

decisum fuisse testatur Gutierrez in 99. pract. lib. 3. quest. 4. num. 10.

35 Ad id verò, quod dicit Nouarius, quod sicut Ecclesia in sua possessione restitui debet, ita & Curia secularis similiter in sua possessione restitui debeat. Respondetur, disparitatem esse, quia in casu Ecclesie ipse Iudex secularis illam spoliavit, extrahendo ab ipsa, vel retinendo extractum ab ipsa reum violenter; & ideo iure reus est ei restituendus. At in eo casu ipsa Ecclesia non spoliavit Curiam secularem, quia recepit eum liberum, & ius habentem pro sui defensione ad ipsam confugiendi. Quapropter Iudex laicus debet restituere reum Ecclesie spoliatae, quia per talem spoliationem Ecclesia non amittit ius protectionis acquisitum; & ideo Curia capiens reum lædit tale ius: ex iniusta autem læsione oritur restituendi obligatio. At Ecclesia protegens reum violenter ereptum Curie, non lædit ius Curie, licet quodammodo reus in tali casu sit sub dominio Curie: quia protegit reum utentem iure suo: atque adeo protegit in eo, in quo potest illum protegere: quia sine iniuria alterius unicuique ius proprium protegi potest. Quod si ex hac protectione impediatur ius alterius, per accidens est, atque quisque potest uti iure suo, licet per accidens impediatur ius alterius, quin licet per accidens, sequatur damnum alterius, l. si cui, §. denique Marcellus, ff. de aqua, & aqua plu. arcenda. Adde, non valere argumentum de casu privilegiato ad non privilegiatum, & de favoribus ad odia: præsertim quia Gregorius XIV. prohibet actiones istas, extrahere, capere, vel incarcerare, disunctiue per particulam vel: & sic licet Ecclesia possit tueri reum à Curie manibus violenter extractum (quia sic extractus habet etiam ius, ut dicebam pro sui defensione confugiendi ad Ecclesiam) non tamen in casu, quo reus fuerit violenter extractus ex Ecclesia ab aliis, poterit Iudex laicus illum sic extractum capere, vel incarcerare, quia hoc ipsum à Pontifice in Bulla prohibetur, cum disunctiue dictæ actiones prohibeantur, ut dicebam.

Instabis, saltem Ecclesie immunitate non gaudent extrahentes (præsertim qui damnatum iam, vel è carceribus reum in illis manentem extraxerint) si hi ad Ecclesiam confugiant, quia committunt crimen læsæ Maiestatis, ex textu in l. cuiusque, ff. ad l. Iuliam Maiest. Et docet ex communi Alexander consil. 35. num. 4. vol. 2. Bursat. consil. 116. num. 1. & 5. vol. 2. Viuius decis. 92. num. 4. Mastrillus de indul. cap. 59. num. 1. & 2. & alij passim.

Respondetur, nego antecedens, maxime in terminis Constitutionis Gregorij XIV. ubi tantum ab Ecclesie immunitate excluduntur rei læsæ Maiestatis in personam Principis: Vide quæ dicebantur supra dub. 23. sect. 4. & seqq.

40 Ex quibus ulterius sequitur, quod ipsi extrahentes Ecclesie immunitate etiam gaudeant, si in ipso actu extrahendi ipsos satellites, quin & quoscunque Regios Officiales vulnerent, & occidant; quia adhuc (licet crimen læsæ Maiestatis committant, ex l. 1. ff. ad leg. Iul. Maiest. & notant communiter Doctores apud Farinacium quest. 112. num. 136. & Antonium de Amatis decis. 1. & 4.) non tamen in personam Principis committunt. Vide cit. dub. 23. per totam.

DUBITATIO XXXIV.

An si reus extractus Ecclesie non restituatur, omnia acta sint nulla? ubi etiam quinam alij effectus inde sequantur?

SUMMARY.

- 1 Si Reus extra casus exceptos extractus, Ecclesia non restituatur, omnia acta sunt nulla.
- 2 Ecclesia est locus exemptus à iurisdictione Iudicis secularis quoad actum extrahendi reum ab ipsa extra casus exceptos; & propterea extractio, & sic omnia subsequencia sunt nulla.
- 3 Iudex præter casus exceptos non potest reum ab Ecclesia extractum in arcerare, vel interrogare, vel torquere, vel quidquam aliud iudiciale in eum facere.
- 4 Iudex secularis per capturam iniustam non acquirit iurisdictionem in reum.
- 5 Fundamentum iudicij si iure non subsistat, omnia, quæ in eo fundantur, irrita sunt.
- 6 Non potest Iudex in tali casu iuridice reum interrogare, qui propterea non tenetur respondere ad mentem Iudicis interrogantis.
- 7 Extrahens illegitime, vel contra ita extractum ulterius procedens, tenetur ex iustitia compensare reo omnia damna, quæ ex tali extractione ei contigerunt.
- 8 Extrahens illegitime absoluti non debet, nisi prius restituerit Ecclesie extractum, & refecerit ei omnia damna, & interesse.
- 9 In debita rei extractione intercedit solum sa. rilegij culpa primario & per se, secundario verò & consequenti obligatio restituendi.
- 10 Nullus extrahens est, qui talem extracti restitutionem faciat, vel quia fecit bona fide, vel quia si mala, putat tantum esse sacrilegium.

Respondetur, quod si reus extra casus exceptos extractus, Ecclesia non restituatur, omnia acta sint nulla? Atque ita expresse definitur in Constitutione Gregorij XIV. ibi: Necnon irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, & docent Bartol. in l. presenti, Cod. de his, qui ad Eccles. Oldradus consil. 53. Syluest. verb. Immunitas 3. q. 4. Angel. eod. verb. num. 20. Abb. cap. inter alia, de immunit. Mar. Ital. lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 11. Ambrosine. 15. num. 7. Peregrin. cap. 15. num. 21. Lezana verb. immunitas, num. 18. Suar. lib. 3. cap. 13. num. 12. & seqq. Clar. in pract. crim. quest. 130. Salon. quest. 60. art. 4. contr. 2. Less. lib. 2. cap. 29. dubit. 6. num. 52. Farinacius tom. 1. de car. erib. quest. 28. num. 5. & in append. de immunit. cap. 2. n. 56. Scortia epist. 152. & theor. 385. Layman lib. 4. cap. 3. in fin. & Bonacina cit. quest. 7. punct. 5. num. 2. & probatur, quia cum Ecclesia sit locus exemptus à iurisdictione Iudicis secularis quoad actum extrahendi reum ab ipsa, extra casus exceptos extractio est nulla ut potè facta ab eo, qui non habet iurisdictionem extrahendi, tum ob rationem dictam; tum quia reus habet ius, ne à loco sacro inuitus extrahatur) & sic omnia subsequencia sunt nulla.

Hinc sequitur, quod Iudex secularis non possit extractum reum in tali casu incarcerare, vel torquere, vel quidquam aliud iudiciale in eum exercere, quia cum ad hæc omnia requiratur, ut prius acquireret in reum iurisdictionem (quam per capturam sacrilegam